Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ministrauit illis. Cum sol autem occidisset. omnes qui habebant
infirmos uariis languoribus ducebant illos ad eum. At
ille singulis manus imponens curabat omnes. Exibant
autem demonia a multis. clamantia et dicentia. Quia tu
es filius dei. Et increpans non sinebat ea loqui. quia scie-
bant ipsum esse xpm. Facta autem die. egressus ibat in de-
sertum locum. Et turbe requirebant eum. et uenerunt usque
ad ipsum. et detinebant illum ne discederet abeis. Quibus
ille ait. Quia et aliis ciuitatibus oportet me euangelizare
regnum dei. In octauis pentecoste lectio libri apocalipsis beati iohannis apostoli.

In diebus illis. Vidi ostium apertum in celo. et uox prima
quam audiui tanquam tube loquentis mecum dicens. Ascende
huc. et ostendam tibi que oportet fieri post hec. Statim fui
in spiritu. Et ecce sedes posita erat in celo. et super sedem
sedebat. similis erat aspectui lapidis iaspidis et sardinis. Et iris
erat in circuitu sedis. similis visioni smaragdine. et circuitu
sedis sedilia viginti quatuor. et super thronos viginti qua-
tuor seniores sedentes circumamicti stolis albis et in capitibus
eorum coronae aureae. et de throno procedunt fulgura et tonitua
et voces. Et septem lampades ante thronum. qui sunt
septem spiritus dei. Et in conspectu sedis tanquam mare uitreum.
simile christallo. Et in medio sedis et in circuitu sedis quatuor
animalia plena oculis ante et retro. Et animal
primum simile leoni. et secundum animal simile uitulo. et
tertium animal habens faciem tanquam hominis. et quartum
animal simile aquile uolanti. Et quatuor animalia
singula eorum habebant alas senas. et in circuitu et intus
plena sunt oculis et requiem non habebant die ac nocte
dicentia. Sanctus. sanctus. sanctus dominus deus omnipotens. qui erat et qui